BERNARDUS CLARAEVALLENSIS
12. Jh. Seite 36r
Quelle: https://manuscripta.at/?ID=26055
Copyright: Admont, Benediktinerstift



forti liberatio est. Oportet ergo castigari corpus. et in seruitutem redigi. et
peccati occasiones auferri. Alioquin si concupiscentia extincta non
fuerit. nascitur de ea consuetudo. ut sepe sine omni estu desiderii. ipsa
consuetudine ad rem illicitam pertrahatur. Ex hoc iam melius est ingenium
quam uires. et opus est spiritu consilii. ne forte si quis castigatione corporis
uoluerit obuiare. prius deficiat substantia quam concupiscentia carnis.
Opus est ergo consilio siue a deo siue ab homine. sicut de quodam fratre legimus.
quem a spiritu fornicationis grauiter temptatum, senior spiritalis occulte pre
cepit argui et obiurgari assidue. ita ut nimis afflictus in lacrimis
sic oblitus sit temptationis illius. ut tandem querenti de ea cum admiratio
ne respondit dicens. Pape uiuere non licet. et libeat fornicari. Hec con
suetudo si uicta non fuerit. parit contemptum. Peccator enim cum uenerit in profun
dum malorum contempnit. et iam tanto liberius quanto desperatius peccat. Ad
uersus hunc procedere necesse est spiritum intelligentie. qui illuminet has
tenebras et ostendat lucem miserationum dei. Intelligentia enim est de inuisi
bilibus et altissimis. que nec experientia humana cognoscere. nec ratio suffi
ciat comprehendere. quale est. ubi habundauit delictum super habundauit
gratia. Si ergo non preualuerit intelligentia reducere animum ad spem. contemptus
deicit in maliciam. Desperans quippe. desperat de uenia. et quam potest conso
lationem querit deinceps in hac uita. Iam non est liberari. nisi contra maliciam
manu ad manum congrediatur sapientia ipsa. ut clauus clauum expellat.
et dulcedinem pernitiosam. amarescere faciat dulcedo spiritalis inmissa.
Sic maliciam sapientia uincit. Attingit ergo a fine usque ad finem fortiter.
usque ad timorem. eradicans uicia singula. et disponit omnia suauiter. sin
gulas inserendo uirtutes. Expellit enim negligentiam et timorem inmit
tit. expellit curiositatem. et inmittit pietatem. tandem expellit maliciam. et
sapientia regnat. Ergo quem negligentia obdormire fecit. curiositas
peius excitauit. attraxit experientia. tenuit concupiscentia. ligauit con
suetudo. contemptus trusit in carcerem. malicia iugulauit. uincente sapi
entia timor excitat. pietas blande demulcet. scientia ubi nata sit. et
quomodo factum sit suggerens. haut dubium quin apponat et dolorem. fortitudo
erigit. soluit consilium. intellectus de tenebris carceris educit in lucem.
sapientia cibat. et suauibus reficit alimentis.